

Nam raro talia fieri consueverant, quin
aliquot mali evenirent. Item cum Helga
fuit zelator legis, eo quod lex et iusticia
unicuique quod suum est reddit. Ad hec
dominus Theodericus predictus anhelabat
ut zelator legis et iusticie magna sollicitudine.
Nam propter meum et suum sub suo felici
regimine frequenter orie sunt discordie, ubi
se inter^{posuit} posuit continue; ^{pro}mo pacem et
concordiam faciendo inter ducem Lothoringie
et Metenses. Item inter eundem ducem
et archiepiscopum Treverensem, unicuique quod
suum erat tribuendo per concordiam. Item
pacem communem ordinavit ad multos annos
inter se ipsum et duces Lothoringie et Barrensem.
Item cum archiepiscopo Treverensi. Item
cum episcopo Argentinensi. Eciam dum dux
Brabancie fratri imperatoris captus esset
in bello Juliacensi per ducem Juliacensem
in Bohemiam iit et imperatorem pro libera-
tione adduxit. Imo quod plus est, Urbanum
papam et Karolum III imperatorem cum
magna armatorum potentia sequutus est
in Lombardiam contra tirannos Mediolanenses
pro iniuriis ecclesie recuperandis. Sic ergo
vere fuit zelator legis et iusticie, unicuique
quod suum erat volens tribuere et per hoc
pacem patri^{re} procurare, multosque oppressos
liberare. Similiter fuit cum Heliseo retri-
butor reis; nam Heliseus pueris maledixit
qui ipsum deridebant et statim ursi veniebant
pueros devorantes. Sic dum quidam nobilis
Bertrandus^{de} de Noviaut cum suis complicibus
de Lothoringia Marsellum opidum episcopatus
fortissimum quasi in derisum episcopi cepisset,
tradiciose absque diffidacione, quosdam armatos
cum sportis mercatorum ad portas ville premittendo

q/ barren =.

q/ fr^o imperator =.

q/ tradus =.

(sportis mercator)